Quelle: http://manuscripta.at/?ID=25959
Copyright: Admont, Benediktinerstift

dubitantes credi debeant. ipsa mox ueritas certa ratione confirmat. Amen dico uobis. non preteribit generatio hec donec omnia fiant. Que generatio hic recte intelligenda est. nisi generatio rectorum. quorum semen dirigetur in secula seculorum. quia propitiante deo in ipso etiam termino mundi. non deerunt inquirentes que beneplacita sunt illi. Sed ne aliqua in corde audientium resideret dubietas. iterum affirmando ipsa subintulit ueritas. Celum et terra transibunt. uerba autem mea non transibunt. Non hoc utique ita intelligendum est quasi hec elementa post finem seculi ad nichilum redigantur. sed quia igne purificante in meliorem statum renouantur. Celum enim hoc aereum. cuius nunc splendorem uarius immutare uidetur transcursus nubium. quanta tunc solis. lune et stellarum CLARITATE splendescat. uox prophetica manifeste declarat. Erit inquiens lux lune sicut lux solis. et lux solis sicut lux septem dierum. Et si elementis insensibilibus tanta erit species claritatis. qualis esse splendor poterit ad dexteram dei collocatis. Tunc enim electi quique configurati corpori claritatis Christi. fulgebunt sicut sol in uirtute celesti. Nos ergo ut ad hanc claritatis uisionem peruenire ualeamus. filii lucis et filii diei hac uita esse studeamus. ipso prestante et adiuuante qui lux uera et beatitudo omnium est beatorum. qui uiuit et regnat in secula seculorum. AMEN.

ERUNT SIGNA IN SOLE ET LUNA. ET STELLIS. ET IN TERRIS PRESsura gentium pre confusione sonitus maris et fluctuum. arescentibus hominibus pre timore et expectatione que superueniet uniuerso orbi. Omelia lectionis eiusdem.

discipulis

REQUISITUS A DISCIPULIS DOMINUS DE FINE MUNDI HUIUS. sicut presens euangelice lectionis ordo insinuat. de cunctis eiusdem mundi elementis. signa quedam dedit futuri examinis. de celo. in sole. luna. et stellis. de terris pressura gentium.